

R. P. FR.
FELICIS POTESTA
PANORMITANI,

ORDIN. MINOR. DE OBSERV. S. P. FRANCISCI,
Lectoris Jubilati, ac iteratò Ministri Provincialis, S. Officii
Consultoris, & Qualificatoris, Examinatoris Synodalis, Re-
visoris Ordinarii, & R. Monarchiæ Theologi: 32
4053

EXAMEN ECCLESIASTICUM
ADAUCTUM TRES COMPLECTENS TOMOS,

IN QUO UNIVERSÆ MATERIÆ MORALES,
omnesque ferè excogitabiles casus conscientiæ solidè, & clarè resolvuntur, cum
Denuntiationibus ad Monitoria Papæ, & Episcoporum, ad Ediçta Inquisitionum, ac
pro Confessariis sollicitantibus, Instruçione Sacræ Pœnitentiariæ, Propositionibus
dammatis, Examine Ordinandorum, & Arte prædicandi.

O P U S

CONFESSARIIS, PRÆDICATORIBUS, ET ORDINANDIS,
necnon cunctis Ecclesiasticis per quam utile, & necessarium.

AD CALCEM OPERIS ACCESSERE PROPOSITIONES DAMNATÆ
Paschalis Quesnelli, & Decr. Sac. Congr. Rit. pluribus abhinc annis emanata.

E T E T I A M

CONSTITUTI ~~ONIS~~, NON SOLUM
in prima editione ~~adita~~ *in hac ultima*
adita

SU

PERMISSU.

MATRITI. Apud Joachim Ibarra Typographum Urosarum viâ. MDCCLIX.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
SALAMANICÆ

FRATER CHERUBINUS A NARDO, ORDINIS MINORUM STRICTIORIS
Observ. S. P. N. Francisci, Sacr. Theol. Lector Emeritus, & in hac Cismontana
Familia, tam Observ. quam Reformatorum Commissarius Generalis, & Servus.

*Dilecto plurimum nobis R. P. Fr. Felici de Panormo, Lectori Jubilato, Sancti Officii
Qualificatori, & Consultori, ac Provinciae nostrae Observantis Vallis Mazariae itera-
to Ministro Provinciali, salutem, & pacem perpetuam, &c.*

QUAM digna laude, quamque commendabilia sint opera tua ac studia id, inter cetera ex divulgato
per Te nuper impresso Examine Ecclesiastico in tres Tomos distributo, quorum duo primi sub ti-
tulo: *Examen Confessoriorum*; tertius vero *Examen Ordinandorum*, ex eo colligi potest, quod publice,
communiquè omnium Theologiae Moralis, aliorum studiosorum petitioni, ut illud reimprimatur, sollicitu-
ris: Cum autem, sicut nobis significaverit hujusmodi nactas occasione, opus ipsum nobis additamentis am-
plificaveris, & sic amplificatum pro ejusmodi reimpressione facultatem nostram exposcas; votis tuis alacri
animo inhaerentes, communiquè utilitati satisfacere cupientes: ut opus ipsum (postquam à RR. PP. Antonio
à Drepano, Guillelmo à Panormo, Sacr. Theologiae Lectoribus Jubilatis, quibus id, vigore praesentium committimus, re-
visum, & approbatum fuerit) iterum praelo dare valeas, facultatem, nostramque insuper benedictionem con-
cedimus, & impertimus, servatis tamen caeteroquin servandis. Vale. Dat. Neapoli die 10. Maii 1702.

Fr. Cherubinus à Nardo, Commissarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato suae Reverendissimae Paternitatis,

Fr. Candidus à Genua Pro-Secretarius Generalis.

Registrata, &c.

APPROBATIO ORDINIS.

REV. ME PATER.

Diligenti lecturae examine, per jucunda voluptate non modica, in Theologia Morali non vulgari cum
utilitate conjuncta, obtemperandi studio venerabundis nutibus Paternitatis tuae Reverendissime, per-
volvi opus, cujus Epigraphae: *Examen Ecclesiasticum ad auctum, tres complectens Tomos, in quo universa materia
moralis, omnesque fere excogitabiles casus conscientiae solide, & clare resolvuntur, cum Denuntiacionibus ad Monito-
ria, &c.* à R. P. Felice à Panormo, Ordinis Minorum Observantium S. P. Francisci Lectore Jubilato, ac
iterato Ministro Provinciali, S. Officii Consultore, & Qualificatore, Examinatore Synod. Revisore ordina-
rio, & R. Monarch. Theologo scite elaboratum inconcussa artificii eruditione perfectum; nihilque in eo
(quantum in experientia me tenet) quod Orthodoxae innocentiae Fidei, incorruptisque sane mentis mori-
bus adversetur, comperi; imò ad Patrum Placita, Sacrorum Canonum tenorem, Sac. Congr. decisiones,
Summorum Pontificum intellectum, Catholicae veritati consonum adjudicavi. Cum primum ad lucem in
duobus tomulis restrictum prodiret, Candidi Lectoris studia illud habuere pergratum: nec ambigo parem,
imò praestantiorum de hujusmodi opere efformare conceptum; in uberiores, & expolliorem formam
redacto. Quapropter (salva semper judicii melioris censura) ad Lectorem utilitatem, Religionis decorem,
Deique gloriam, typis mandari posse, & debere dignissimum censeo. In quorum fidem, &c. Datum Pa-
normi, apud S. Mariae de Angelis Cœnobium die 20. Octobris 1702.

PATERNITATIS TUAE REV.

Humillimus Subditus, & Servus,

*Fr. Antonius à Drepano, Praedicator Clarissimus, Lector Jubilatus, Ex-Minister
Provincialis, & S. Inquisitionis Qualificator, & Consultor.*

CL.

Præcepta Decalogi, Ecclesiæ Sacramenta, Censuras, Pœnas, in quibus plura
de Monialibus, & Propositiones ab Alexandro VII. Innocentio XI.
& Alexandro VIII. damnatas.

*QUÆ PRIUS HIC (TAMQUAM TOTIUS OPERIS SPECULUM
ad labe delendas) afferuntur. Deinde in propriis locis trium Tomorum rejectæ citantur.
Quorum locorum Indicem habes in fine Tomi Tertii.*

1. PROPOSITIONES 45. AB ALEX. VII.
damnatæ.

Feria v. die 24. Septembris 1665.

In Congr. Gener. S. Rom. & Univ. Inquisit. habita in
Palatio Apost. Montis Quirinalis, coram SS. D. N. Alex-
andro Divina Providentia Papa VII. &c.

Sanctissimus D. N. Auduit, non sine magna animi
sui dolore, complures opiniones Christiane Disci-
plina relaxativas, & Animarum perniciem inferentes,
partim antiquarum iterum suscitari, partim noviter prodire:
& summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam
in dies magis excrescere; per quam in rebus ad conscien-
tiam pertinentibus modus opinandi itrepfit, alienus omnino
ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doc-
trina, & quem si pro recta regula fideles in praxi seque-
rentur, ingenio erumpente esset Christiana vita corruptela.
Quare, ne ulla unquam tempore viam salutis, quam su-
periora veritas Deus, cujus verba in æternum permanent,
arctam esse desinavit, in animarum perniciem dilatari,
sive vetius perverti contingeret, idem Sanctiss. D. N. ut
ovis sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, latæque, per quam
itur ad perditionem, via, pro pastoralis sollicitudine in
relictam semitam evocaret, eandem opinionum exarum
pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminen-
tiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus, contra hæreticam
prævaricatem Gener. Inquisit. scrib. commisit: Qui tantum
negotium strenuè agressi, eoque sedulo incumbentes, &

maurè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propo-
sitionibus, super unaque ipsarum sefrægia Sanctiss. S. R. E.
sua sigillatim exp. suarum.

1. Homo nullo unquam vice, sive tempore te-
netur elicere actum iulæ, spei, & charitatis, ex vi
præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinenti-
um.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest
illud acceptare, ne impudicitatis notam apud alios in-
currat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm pro-
hibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum,
quando publica sunt, & id non derogare facultati
Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est,
anno 1629. 18. Junii in Consistorio Sacr. Congr.
Eminentiss. Card. visa, & tolerata est.

4. Prelati Regulares possunt in foro conscientie
absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta,
& ab excommunicatione propter casti incursum.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse
hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non
possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione
tribuit Pœnitenti chartam, postea legendam, in qua
ad veniendum incitat, non censetur sollicitasse in Con-
fessione; ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ
sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur casti soli-

gentiæ prædictis Fratribus præmissa peragentibus à Nobis, vel Prædecessoribus nostris ad tempus nondum elapsum, vel perpetuò duraturæ concessæ fuerint, præsentibus nullæ sint; utque earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alterius perso-

næ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem profus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Maii M.DC.LXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

I. G. Cardinalis Salsus,

LAUS DEO.

¶ Duo sunt potissimum, quæ à nonnullis in hoc Opere desiderantur, quorum votis, jurè optimo acquiescere debemus. Primum est Syllabus propositionum Paschalis Quæsnelli à SS. D. N. Clem. XI. proscrip- tarum per declamatoriam Bullam: *Unigenitus*, cum aliqua oppugnatione R. P. Dominici Viva Soc. Jesu, qui in editione hujus Summæ novissima Veneta jam adducitur. Secundum est Series Dec. S. R. Congregationis, quæ R. P. Claudius La Croix ejusd. Soc. non exiguo labore collegit, ita ut 314. recenscat in suo tom. 2. Theologiæ Moralis, lib. 6. p. 2. num. marg. 2055. Utrumque libenter subijcimus pro Lectorum solatio, ac commoditate.

A P P E N D I X

QUESNELLIANARUM THESIUM A SS. D. N. CLEMENTE XI. profligatarum; quibus sua seorsim subjicitur laconica explanatio, & oppugnatio, præ- tringendo paucis, quæ fusiùs, ac enucleatius in sua Trutina Antiquæsnelliana, P. DOMINICUS VIVA Soc. JESU differuit in obsequium dogmatum Catholicorum.

1. **Q**UID aliud remanet anima qua Desum, ac que ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

Si peccatori post amissam Dei gratiam per peccatum deficeret liberum arbitrium, ac potestas ad honestè operandum, nec non gratia ad orandum, & ad resipiscendum, delusoriè à Deo ad poenitentiam invitaretur; sicut delusoriè invitatur cæcus ad videndum. Quo quid absurdius?

2. *Jesu-Christi gratia, principium efficace boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

Citra Christi gratiam, quæ principium efficace est omnis boni, (hoc est citra gratiam efficacem) adhuc homo adjutus gratia sufficiente exerce- re potest actus virtutum supernaturalium, tum Moralium, tum etiam Theologicalium. Non est itaque gratia effi- cax ad omne opus bonum necessaria.

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*

Si Deus in vanum præciperet, quando denegat gratiam efficacem, qua dat, quod præcipit, nonne fatuum esset præceptum poenitentiae, quod à Deo peccatori non resipiscenti imponitur? Nonne frustra esset gratia sufficiens, quam Deus eidem confert, ut resipiscat? Cùm tamen ea sit beneficium ingens.

4. *Ha Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operandu in illo.*

Perindè quasi non esset possibilis conversio pec- catoris, quando Deus gratiam illi confert sufficien- tem, ut resipiscat, absque eo quòd resipiscantiam in illo operetur per gratiam efficacem.

5. *Quando Deus non emollit cor per interiorum un- ctionem gratia suæ, exhortationes, & gratia exteriores non infervunt: nisi ad illud magis obdurandum.*

Adhortationes, & gratiæ exteriores non deser- viunt ad obdurandum cor peccatoris, quia potius ad emolliendum; quamvis aliquando ex defectu prop- riæ cooperationis de facto non emolliatur; & gratia tunc temporis collata sit inefficax.

6. *Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christia- num est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & im- plementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet illum sua gratia purificando.*

Erroneum est hujusmodi discrimen: cùm etiam in Judaico fœdere contulerit Deus gratiam sufficien- tem ad non peccandum, nec reliquerit Deus Judæos in impotentia ad bene operandum. Commentitium pariter est, quòd semper Deus in Christiano fœdere sua gratia det quod jubet; sæpè enim quod jubet non ponitur, non quidem ex defectu gratiæ, sed ex nos- tra culpa. Denique falsum est peccatorem gratia di- vina semper purificari; cùm sæpè adjuvetur, quin purificatio sequatur vitio voluntatis.

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propria infirmitati imponen- do ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petis à nobis.*

Er.

Si nomine Prædicatorum veritatis intelligat Quænellus Jansenianos, commentitium est quod sint veritatis Prædicatores, dum prædicant Theses ab Ecclesia damnatas; & Deus non permittit, sed vult, potestates omnes esse illis contrarias. Sin intelligat Concionatores Evangelicos, & Pastores, commentitium est, quod potestates omnes sint iis contrariæ: cum non possit Ecclesia difficere.

97. Nimis sæpè contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesie sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

Si nomine istorum membrorum veniant Janseniani, qui sunt Ecclesie rebelles, quomodo dici potest, quod sint sancte, stricte unita Ecclesie, cum sint membra per excommunicationem abscissa? Sin veniant Justi, & Martyres, quomodo dici potest quod nimis sæpè tam indignè ab Ecclesia tractentur? Nonne Ecclesia ipsa sic tractando istos erraret?

98. Status persecutionis, & poenitentiam, quas quis tolerat, tanquam hæreticus flagitiosus, & impius ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote qua facit hominem magis conformem Jesu-Christo.

Nec potest Ecclesia quemquam habere ut hæreticum, si non sit talis, nec est meritorium velle hanc calumniam pati.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in volendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vite. V. gr. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

Portæ inferi adversus Ecclesiam prævalent, si talis pervicacia, necnon præventio, & obstinatio possit in illam cadere, ac mutare in odorem mortis, quæ Deus posuit in odorem vite, videlicet damnando hæreses Jansenianas, quæ certè non sunt in oculo

rem vite, sed Mephitum tartaream exhalant.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit... Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, rapax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis viri terribilis. Frustrà quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, se propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

Fieri ne potest, quod Ecclesia Dei veritatem persequatur, & quoad à Religionis Ministris viri probi tanquam membra putrida habeantur? Pariter portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, si Pontifex ex Cathedra loquens adversus Jansenianas propria passione obcecatus, aut aliena abreptus nihil vellet examinare, antequàm Theses damnat tanquam erroneas, velletque earum Auctorem tanquam impium per errorem habere, ac anathematizare.

101. Nihil spiritus Dei, & Doctrina Jesu-Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserant consilio impiorum.

Juramenta, quæ ab Ecclesia exiguntur, dum Janseniani præscripto formulæ subscribunt, neque Spiritu Dei, neque doctrinæ Christi Dom. adverfantur; Juramentum quippe est actus Religionis, ubi suos habeat comites. Veritatem, judicium, & Justitiam; ac passim ab Ecclesia in rebus gravioribus exigitur. Ex August. autem Epist. 118. Contra id, quod universalis Ecclesia facit, disputare, insolentissima insania est.

DECRETA SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM.

1. Consecrator Ecclesie potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem consecrationis. 19. Februarii 1585. ante institutum Congregationem Sacrorum Rituum.

2. Dedicacionis festum extra actum consecrationis non potest ampliùs mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. 16. Octobris 1604.

3. Si Ecclesie dedicatio occurrat in festo Nativitatis B. Virginis Mariæ, fiat de ea; Missæ quæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori. 16. Octob. 1604.

4. Dedicatio Ecclesie Cathedralis celebranda quidem est in Diocesi sub ritu duplici primæ classis, sed sine Octava. 2. Maii 1619.

5. Regulares tenentur quidem celebrare festum de dedicatione Ecclesie Cathedralis, sed sub ritu du-

plici secundæ classis sine Octava. 8. Aprilis 1662.

6. Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum Octava, festum de dedicatione, & de Titulari Ecclesie illius Conventus, in quo morantur. 3. Junii 1681.

7. Eucharistia in festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum. 22. Febr. 1593.

8. In festo SS. Corporis Christi non sunt cantendæ cantiones vulgari sermone. 21. Martii 1609.

9. In festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. 2. Junii 1618.

10. In festo Corporis Christi deferatur Eucharistia à celebrante, & in vespere diei Octavæ si fiat processio, deferatur ab eo, qui cantavit vespere, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Jun. 1627.

EXI

APPENDIX ALTERA

EXHIBENS ILLUSTRIORA QUÆDAM ROMANORUM
Pontificum Decreta, & Constitutiones

ad rem moralem spectantia,

ET SECUNDUM ORDINEM TRACTATUUM
hujus Operis digesta.

2 1 1 1 1 1

CIRCA RELIGIONEM,

Ad Tom. 1. Part. 2. Cap. 1.

Vide infr. Constitutiones spectantes ad Tom. 3. Part. 3.

CIRCA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ INSTITUTIONEM,

Ad d. Part. 2. Cap. 2.

DE DOCTRINA CHRISTIANA POPULIS TRADENDA.

VENERABILIBUS FRATRIBUS,
Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,
& Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam
benedictionem.

ETI minime Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura credita est, vosque præsertim Ven. Fratres ad Apostolatus officium erectos, atque in Prælationis fastigio à Deo constitutos, in id potissimum sollicitudinem intendere, ut Christianus Populus Cælestis Doctrinæ pabulo nutritus, & rudimentis fidei saluberrime instructus in scunitam mandatorum Domini, facem vobis præferentibus, scilicet dirigatur: temperare tamen non possumus, quin vos ipsos nostræ auctoritatis, ac Paternæ dilectionis stimulis excitemus ad tantum, tamque salutare opus Doctrinæ Christianæ impensiore cura provehendum, sublati iis impedimentis, quæ animarum salutem adversantur.

§. 1. Quia vero scientibus legem loquimur, & vigiles Ecclesiarum hortamur Ancillites, quibus nec pietatis, nec alia sacrarum litterarum desunt præsidia, supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis, non satis esse ad Cælestem Beatitudinem assequendam consytem, & involute credere à Deo revelata, & ab Ecclesia Catholica proposita Mysteria; sed hanc Cælestem Doctrinam divinitus traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi, ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, & eorum aliqua necessitate mediis, aliqua vero necessitate præcepti fidelibus ad credendum proponantur. Præterea licet per fidem justificari dicamur cum ea sit humanæ salutis initium, & fundamentum; ad futuram tamen, quam

inquirimus, Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur satis compertum est solam fidem non sufficere; sed viam nosse constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, & Ecclesiar, tum virtutes, quas persequi, tum vicia, quæ studiose declinare debemus.

§. 2. Quæ quidem omnia cum primis Catholice fidei rudimentis, sive Doctrina, ut ajunt, Christiana, contineantur; Episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis Diocesis, & ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientie convincit illum negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, & diligentiam conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impostum esse intelligimus, ut ipse per se Doctrinæ Christianæ semper interit, pueros interroget, & Mysteria fidei, quam profiteamur, aperiat. Nimirum quippè novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis sarcinam, ac plane intellemus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, varisque curarum veluti fluctibus jactari Præsulem suo facis munere facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, si Episcopus, alieno etiam à visitatione Diocesis tempore, quandoque adsit ubi Doctrina traditur Christiano homine digna, pueros, puellasque de rebus antea auditis scisciteretur, ac Mysteria nostræ religionis excolvat, & annuntiet; Pastoris operam in maximam crediti sibi Gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaothi pro viribus excolendam.

§. 3. Hanc administrandæ Ecclesie quasi legem sibi dixerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Præsules Beatorum Civium Albo adscripti; Carolus nempe Borromæus, Franciscus Saleius, Turribius,